



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stella Mystica

Bonald, François

Coloniae, 1607

Mansuetudinem ac mititate[m] ire atque vindictae tempestates sedare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10014

animaduersa in B. virgine tam infir-
 gni mansuetudine ac mititate illam
 totis viribus imitari, atq; exprime-
 re desideres? Emitere igitur pro vi-
 rili, vt hoc in te desiderium susci-
 tes, atque vt voti tui compos effici-
 aris, secundum consuetudinem tuā,
 auxilium atque intercessionem e-
 iusdem B. virginis implora dicēdo:

NOS CVLPIS SOLVTOS

*Mansuetudinem & mititatem, ira
 atque vindicta tempestates se-
 dare.*

CONSIDERATIO.



I AM ante dixi, Animā
 Christiana, iracundiam
 tuas in mari huius mū-
 li tempestates ac pro-
 cellas excitare. Quod veritati valdē
 consentaneum est, nam ab hac, vt S.
 Papa Gregorius annotauit, oriun-
 tur rixæ, tumor mentis, contume-
 liæ, clamor, indignatio, blasphe-
 miæ. Homo qui iracundia efferues-
 cit, & vindictæ spiritu exagitur,
 iudicium rationis omnino perdit:

S. Gregor.
 3. moral.
 c. 31.

*Iracundia
mala.*

*S. Basil. ho-
mil. de ira.*

*S. Chryso-
stom. 20 ad
pop. Ant.*

*Rom. 6 in
Ad. Apost.*

nec ullum prudentiæ actum exer-
cere potest: sed omnia temerè atq;
sine consilio efficit: & quod ampli-
us est, sanitatis animæ & corporis
iacturam patitur, vti S. Basiliius ait,
immani ac truculentia bestia simili
efficitur. Hinc est quod sacræ li-
teræ, quemadmodum idem S. Pater
aduertit, hominem iracundum a-
liquando canem, aliquando serpen-
tem, aliquando viperam atque alijs
eiusmodi nominibus appellent.
Adiicit idem: Impetum furoris ho-
minum iracundorum similem esse
homini qui à Diabolo possessus est:
eò quod sanguis hominis vindictæ
cupiditate æstuantis non aliter bul-
liat atq; cacabus succensus. S. Chry-
sostomus non modò dæmoniacis
sed ipsi etiam dæmoni tales com-
parat: atque etiam illos eo longè
miseriores & infœliciores esse af-
firmat. Quo quid immanius aut
gravius de hac passione dici potuis-
set? Nihil, inquit idem Chryso-
stomus, inquit idem Chryso-
stomus, nihil molestius, nihil fœ-
dus,

dius, quemadmodum scilicet nihil
 suauius est eo qui nescit irasci. Me-
 lius est cohabitare bestia, q̄ homi-
 ni tali. Nā illa quidē, si semel cicure-
 tur, seruat suam legem, illum autē
 quoties placaueris iterum exaspe-
 ratur. Quod si forsitan aliquem ea-
 dem passione correptum inueniat,
 tum verò vis illius supra modum
 vsque adeo augetur, vt alterum in al-
 terius ruinam & perniciem inciset,
 & impellat. Non me latet alia plu-
 rima ab iracundia & vindictæ cu-
 piditate mala proficisci, sed nun-
 quam ad finem peruenturus essem
 si ea hic singulatim perconsenda su-
 scipere velim. Consultius erit mo-
 dum & rationem has passiones
 temperandi perquirere.

Quocirca si, anima fidelis, à me
 modum hæc omnia mala effugien-
 di, rogas: respondebo, non illum
 consistere in iræ omnimoda restin-
 ctione, sed in conuenienti eius tem-
 peratione. Passiones etenim natu-
 rales sunt, quare si moderentur ad
 multa conducunt. Ira namque ac

*Ira passio
 non prorsus
 extinguen-
 da sed mo-
 deranda est*

Psalm. 4.

*Hæc ira bo-
na fit.*

Num. 24.

Joan. 2.

Eccles. 17.

vindictæ cupiditas aliquando ne-
cessarię sunt. Ira, vt quis peccatis se
se opponat: Vindictæ desiderium,
vt quis in illa seuerè animaduerrat.
Hunc Psalmista, *Irascimini*, ait, & *no-
lite peccare*. Iraicendum ergo est il-
lis qui Deum quotidianis sceleri-
bus offendunt: puniendi etiam sunt,
quemadmodum fecit Moyse, quã-
do idololatrias & fornicatores in-
genti strage facta trucidauit: &
Christus Dominus noster quando
flagello è funiculis facto, illos qui
intra tēpli septa negotiationē, vel
nundinationem tanquam in loco
publico exercebant, de templo eie-
cit. Hæc ira propriè appellatur, di-
uini honoris zelus: quo præditi esse
debent non modò illi qui expres-
sam & specialem aliorum curam
gerunt: sed etiam quilibet quoad
proximum suum. Nam vt sacra li-
teræ affirmant, *Vnicuique mandauit
Deus de proximo suo*: ac proinde pro-
posse ad correccionem illius tene-
tur, iuxta ordinem illum quẽ Chri-
stus præscripsit, vt primum corri-
piat

piat eum inter se & ipsum solum: deinde adhibeat secum adhuc vnū vel duos, testes: Quod si nec illos audierit, dicat Ecclesiæ, hoc est superioribus illius, quibus liberum erit eum prout expedire viderint, punire. Hæc ira bona est & utilis.

Iracundia vero illa deuitanda est, quæ veri zeli terminos transgreditur. Velut si quis contra personas, non aduersum vitia illorum indignetur: & si vindicare conetur auctoritate priuata, iniurias tum suas, tum Dei, tum Reipublicæ, grauius quam vel scelus ipsum mereatur, vel recta ratio & ius suadeant.

Ad moderandas igitur has passio *quibus moderanda sit.*
nes ante omnia implorandum tibi *dis ira moderanda sit.*
est diuinum auxilium, per B. virgini-
nis Mariæ intercessionem, pro virtutibus mansuetudinis ac clementiæ impetrandis.

Nam officium proprium mansuetudinis est iram frænare: clementiæ vero munus est, pœnas & supplicia moderari. Hæ duæ virtutes mirificè conueniunt cum misericordia,

*Que consi-
deranda
sint ei qui
mansuetudi-
nem conses-
qua cupiat.*

Matth. 5.

cordia, quæ aliorum miserijs com-
patitur, & eas vel imminuere, vel
omnino tollere, si potest, pro viri-
bus conatur. Cæterum vt magis ac
magis ad hoc agendum inciteris:
expende paulisper tecum ingentia
mala quæ iracundia & vindictæ cu-
piditas, illis, qui talibus passionibus
frequenter impetuntur, secum ad-
uehunt. Recordare quod Dominus
in Euangelio dicat: *Eum qui irasci-
tur fratri suo reum esse iudicio. Qui
autem dixerit fratri suo, raca: reum
esse concilio: Qui autem dixit, fatue,
reum esse gebenna ignis.* Considera
si propter vnicum verbum contu-
meliosum homo æternis ignibus
adiudicatur: maius profecto sup-
plicium subiturum illum qui fra-
trem suum supra modum percusse-
rit, vulnerauerit, iniustè ad mortem
condemnaverit, aut necem illius
procurauerit.

Hæc consideratio plurimum cō-
ducet ad refranandum iracundiæ
impetum. Sed ad clementiam asse-
quendam: considera tuas proprias
infr-

infirmittates: has enim si benè per-
 pexeris, occasionem potius repe-
 rier omnibus te substernendi, quã
 vel contra vnum aliquem irascēdi.
 Præterea eos qui tibi iniuriam faci-
 unt, aut facere videntur, intuearis
 tanquam germanos fratres tuos, ex
 vno eodemque Patre ac matre pro-
 creatos, non tantum quoad carnē,
 cum omnes filij simus Adami & E-
 uæ: sed etiam quoad spiritum: cū
 omnes pretioso sanguine Iesu Chri-
 sti redempti simus idonei redditi
 qui filij Dei & hæredes regni coele-
 stis efficiamur. Quomodo enim po-
 teris aduersus eum excandescere,
 quem habes pro carne ac membris
 tuis? Hæc consideratio si ad iræ mo-
 tus temperandos non sufficit cogi-
 ta iracundos tum quando iracun-
 dia exagitantur extra semetiplos
 esse, & homines esse mentis mini-
 mē compotes, quibus magis com-
 patiendum quam irascendum sit.
 Adde quod nemo sine Dei permis-
 sione atque ordinatione tibi quic-
 quam mali irrogare valeat: Quæ ta-

*Omnes ho-
 mines fra-
 tres sunt.*

*Iracundia
 mētis com-
 potes non
 sunt.*

Prou 3.

Hebr. 12.

Apoc. 3.

1. Petr. 2.

men mala ad vtilitatem tuam spiri-
 ritualem conuertere posses, si ea de
 manu Domini, animo patienti &
 tranquillo si sciperes. *Quem enim
 diligit Dominus castigat: flagellat
 autem omnem filium quem recipit.*
 Sic voluit Iob & Tobiam, viros iu-
 stos & sanctos tentari, vt patientia
 illorum tanto clarius elucesceret.
 Atque vt alias rationes acquirendæ
 clementiæ silentio prætereamus,
 considera mansuetudinem & cle-
 mentiam Iesu Christi & sanctissi-
 mæ matris eius. Christus, vt *S. Pe-
 trus* ait, cum malediceretur, non
 maledicebat, cum pateretur, non
 comminabatur: *B. virgo* autem in
 omnibus se dulcedini atque clemē-
 tiæ filij sui conformabat: vt supra
 demonstratum est. Hos ergo imita-
 re, ad horum exemplum totam vi-
 tam tuam confinge: & denique hy-
 mnum prosequendo roga *B. vir-
 ginem Mariam*, vt te mitem
 faciat & castum.

MITES